

§. Irritum & ibi Imol. & alii DD. idem Paul. in leg. Militibus, Cod. de Milit. testam. idem Paul. & alii DD. in leg. Si jam facta. ff. de Cond. & demonst. Jas. in leg. Quo minus de flumin. 21. quæst. num. 128. Quintò infertur, quòd si quis impetravit à summo Pontifice certam præbendam vacaturam, & tempore concessionis jam erat vacans, valet & tenet impetratio, & potest retinere: Ita Gloss. notabilis & ordinaria in Clement. 1. in verb. Notitia de concess. præben. Glos. in cap. Si postquam, de præben. in 6. & ibi Domin. & DD. Sextò infertur maxima declaratio ad leg. 4. supra his ll. Taur. ubi habetur, quòd condemnatus ad mortem potest testari: Nam certè, si tempore quo emanavit illa lex, quis haberet testamentum factum, valeret & confirmaretur.

Sed sustinendo nostram legem, & primò ex ea adducta in confirmationem, dico, quòd non obstat. text. in dict. §. Irritum, versic. Qua ratione. Quia procedit, quando ex certa scientia testatoris vel concedentis datur & conceditur licentia, & actus pendet à sua voluntate; quia cum actum possit de novo facere, à fortiori confirmare & approbare; ita singul. Cyn. in leg. Si jam facta, de condit. & demonstr. & Imol. Socin. & alii DD. idem Cyn. in leg. Cum uxori. Cod. Quando dies legat. cedit. de quo per DD. & ibi & per Alexand. in leg. Titius. §. Lucius, de Liber. & posthum. per Jas. in dict. leg. Quo minus. ff. de Flumin. 21. quæst. num. 128.

Quæro tamen si eodem die sit factus & constitutus majoratus, & eodem sit concessa licentia & facultas Regia, & non constet nec appareat quòd eorum præcedat; an valebit & tenebit majoratus & constitutio ejus? Et breviter & resolute ego teneo quòd sic, & quòd præsumatur licentiam Regis præcessisse: Et hoc tali fundamento & ratione; quia quando in aliquo actu duo vel plura concurrunt, quorum unum requiritur de necessitate quòd præcedat, & non appareat de prioritate vel posterioritate; semper præsumitur illud præcessisse quòd requiritur de necessitate pro forma & validitate illius actus; textus est notabilis & subtilis in leg. Cum in

(y) Item tenet Molin. lib. 2. de Hispan. primogen. cap. 7. num. 51. Matienz. in leg. 3. tit. 7. lib. 5. gloss. 2. num. 2. confirmaturque hæc sententia ex traditis à Rotæ Auditoribus in dec. 2. sub titul. de Exceptionib. in novis. Felin. in cap. Pastoralis, num. 5. cum seqq. de prescriptionib. Jas. in leg. fin. num. 30. Cod. de Edict. divi Adriani tollend. Ripa lib. 3. resp. 3. num. 12. Alciat. de Præsumpt. reg. 3. præsumpt. 42. Si autem majoratus in licentia infertus, licet antea factus, videtur ea certa scientia confirmatus, juxta textum in cap. Venerabilis, & ibi Gloss. extra, de confirmat. utilis vel inutil. & ibi sequitur Abb. & Menchac. de Success. §. 26. num. 100. Matienz. ubi supra n. 3. Item etiam Alciat. & alii quos refert Molin. lib. 2. cap. 7. num. 21. Azeved. leg. 1. tit. 7. lib. 5. Recopil. num. 3.

testamento. §. Hac verba. ff. de Hæred. institutione; cujus verba sunt: Hac verba Publicius, Marcus, & Cajus invicem substitui hæredes mihi sunt, sic interpretanda sunt, uti breviter videatur testator tres instituisse hæredes, & invicem eos substituisse; & ibi notat Cyn. & antiqui, Bald. Imol. & alii DD. textus etiam singul. & expressus in leg. 2. §. Prins, versic. Sed si quis ita. ff. de Vulgar. & pupillar. (y) Pro qua sententia & conclus. est Gloss. singularis & expressa in Clement. de Rescript. & ibi communiter DD. Facit doctrina Arist. in prædicament. ubi dicit, quòd illud est prius altero, à quo non convertitur continentia subsistendi.

Ex qua regula & conclus. generica infero sequentia. Primò infero, quòd si eodem die appareat donatio vel contractus inter patrem & filium, & similiter emancipatio; & non appareat de hora vel tempore; præsumitur quòd præcessit emancipatio, quia requiritur pro validitate actus. Ita Bald. Angel, Imol. & communiter DD. in dicta, leg. Cum in test. §. Hac verba. Secundò infero, quòd si eodem die appareat de contractu & alienatione minoris super re immobili, & decreto & licentia judicis super eos, & non appareat de prioritate & posterioritate; præsumitur decretum & licentiam judicis præcessisse. Tertio infero, quòd si eodem die appareat hæreditas alicui delata ex testamento vel ab intestato post mortem alicujus, & similiter aditio hæreditatis; præsumitur prius hæreditas delata quam aditio ejus; cum aliàs aditio non valeat antequam hæreditas sit delata, ut in leg. Qui hæreditatem, & in leg. Neminem, & in leg. Hæres institutus, cum simil. de acquir. hæred. Quartò infero, quòd si eadem die fiat appellatio, & commissio appellationis, præsumitur quòd præcessit appellatio. Item poteris inferre singularia in nostro jure communi & Regio.

TEX.

TEXT. XLIII.

LAS licentias que nos havemos dado, ó ,, diemos de aqui adelante, ó los Re- ,, yes que despues de nos vinieren, para hacer ,, Mayorazgo, no espiren por muerte del Rey ,, que las diò, aunque aquellos á quien se die- ,, ren no hayan usado de ellas en vida del ,, Rey que las concediò.

Id est:

Licentia institutorum Majoratum à nobis hæcenus concessa, aut concedenda in posterum, aut à Regibus post nos venturis, non expirent per concessoris mortem, etiamsi ij qui acceperunt non fuerint usi vivente Rege qui eas concessit.

COMMENTARIUM

In Legem XLIII.

SUMMARIUM.

I An licentia Principis expiret morte ipsius Principis?

Nota ex ista lege, quòd licentia Regis vel Principis alicui concessa ad constituendum majoratum, non expirat nec finitur morte ejusdem Regis vel Principis concedentis, quavis ille cui fuit concessa non sit usus ea in vita concedentis. Et confirmatur nostra lex & ejus dispositio, quia regulariter concessio, gratia, vel Privilegium Principis est perpetuum re integra, antequam sit executioni mandatum; text. est in cap. Si super gratia, de officio delegati, lib. 6. & Gloss. ordinaria, & communiter DD. text. in cap. Si gratiosè, de rescriptis, in 6. ubi disponit, quòd solum quando exprimitur ad

vitam, vel voluntatem, expirat per mortem; secus verò si simpliciter, vel in dubio; quia semper durat perpetuò, etiamsi causa propter quam fuit concessum expiraverit & sit extincta; & ibi notat Dominicus, Ancharans. & communiter DD. text. in cap. fin. de Precariis, ubi habetur, quòd licet precarium sit revocabile per expressam voluntatem concedentis, tamen non finitur morte. Facit etiam text. in leg. 1. ff. de Constitution. princip. text. etiam in leg. Imperialis, §. 1. versic. Sed & si talis, Cod. de Nupriis, & ibi notat Bartol. & alii DD. (z) Cætera tamen circa istam legem & materiam ejus pertinentia vide in leg. 40. supra, eodem.

TEXT. XLIV.

EL que hiciere segundo Mayorazgo, aun- ,, que sea con autoridad nuestra, ò ,, de los Reyes que de nos venieren, ora por via ,, de contrato, ora en qualquier ultima volun- ,, tad; despues de hecho puedalo revocar à su ,, voluntad: Salvo si el que lo hiciere por con- ,, trato entre vivos, oviere entregado la pos- ,, session de las cosas, ó cosa contenidas en el ,, dicho Mayorazgo á la persona en quien lo ,, hiciere, ò á quien su poder oviere; ó le ovie- ,, re entregado la Escritura de lo ante Escrivano, ,, ó si el dicho contrato de Mayorazgo se ,, oviere hecho por cosa onerosa con otro ter- ,, cero, assi por via de casamiento, ó por otra ,, cosa semejante: que en estos casos manda- ,, mos que no se pueda revocar; salvo si en el ,, poder de la licencia que el Rey le diò estu- ,, viesse clausula para que despues de hecho lo ,, podiesse revocar, ó que al tiempo que lo hi- ,, zo el que lo instituyò reservasse en la mis- ,, ma Escritura que hizo del dicho Mayorazgo ,, el poder para lo revocar; que en estos casos ,, mandamos, que despues de hecho lo pueda ,, revocar.

Id

(z) Vide Guidon. Pap. decisione 491. Rip. in Rub. de constitution. num. 48. Boër. decis. 346. num. 1. Archidiaconum in Proæmio. Sexti, in fin. versic. Sed pone, quem sequuntur ibi Joann. Andr. Domin. & Felin. cap. Caterum, num. 11. Ex quo plura infert. Didac. Perez in leg. ultim. tit. 2. lib. 2. Ordinam. col. 137. Molin. lib. 2. cap. 7. num. 64. Adversus tamen nostram legem objicitur, leg. 20. tit. 30. part. 2. ibi: Entregandole luego de los officios, ubi Gregor. Lop. ex ea notat, officia morte Regis ea concedentis expirare. Cujus difficultatis confirmationes refert Matienz. in leg. 2. tit. 7. lib. 5. gloss. 2. num. 2. respondens etiam ad legem partitæ in num. 3. & sequentib. Et quando possit Rex qui licentiam concedendi majoratum præstitit, eam revocare? traditum est, in leg. 40. num. 89. ubi videre potes alios plures, ibi: Ego teneo contrariam sententiam, & ibi: Nisi ea causa, &c. Et præsertim videndus Molin. de Primogen. lib. 4. cap. 3. per totum, ubi latissimè de concessione licentiæ prædictæ, & revocatione tractat.

COMMENTARII

In Legem XLV.

SUMMARIUM.

Id est: Qui secundum instituerit Majoratum, etiam nostra auctoritate, aut Regum nostrorum successorum, sive ratione contractus, sive quavis alia ultima voluntate, possit institutum revocare suo arbitratu; nisi qui per contractum inter vivos illum instituerit, rerum, aut rei in Majoratus contenta possessionem tradiderit ei in quo illum constituit, aut alteri potestatem suam habenti; aut illius Scripturam coram tabellione; aut si pradicatus contractus Majoratus factus fuerit propter causam onerosam cum alio tertio, ut ratione matrimonii, aut propter similem aliam causam: Nam in ejusmodi casibus precipimus ut revocari non possit, nisi in potestate licentia a Rege concessa esset clausula ut institutum posset postea revocari, aut si cum fuit institutum, institutor in eadem institutionis Scriptura reservasset sibi potestatem eum revocandi: nam in ejusmodi casibus precipimus ut revocare illum possit.

Nota dispositionem hujus textus; cujus materia declaratur in leg. 17. supra eodem, & ideo hic non repeto.

TEXT. XLV.

Andamos, que las cosas que son de Mayorazgo, agora sean Villas, o Fortalezas, o de otra qualquier calidad que sean, muerto el tenedor del Mayorazgo, luego, sin otro acto de reprehension de possession se traspasse la possession civil, y natural en el siguiente en grado, que segun la disposicion del Mayorazgo debiere succeder en el, aunque haya otro tomado la possession de ellas en vida del tenedor del Mayorazgo, o en el muerto, o el dicho tenedor le haya dado possession de ellas.

Id est:

Precipimus, ut res que sunt Majoratus, sive Oppida sint, sive Arces, aut cujusvis alterius qualitates; defuncto Majoratus possessore, statim absque ullo alio reprehensibilis possessionis actu, civilis, & naturalis possessio transferatur in sequentem in gradu, qui juxta dispositionem Majoratus successurus in eo est, etiam si quisquam alius possessionem earum vivente Majoratus possessore ceperit, aut defunctus, sive possessor earum possessionem ei tradiderit.

- 1. Possessio naturalis, & civilis per legem ipso jure transit in successorem Majoratus?
2. Quid sit dominium?
3. Dominium in rebus vacantibus a jure civili non esse immutatum?
4. Quibus modis acquiratur dominium de jure civili in rebus immobilibus?
5. Definitio domini?
6. Quid sit detentatio?
7. In quibus actibus quaratur tantum sola nuda detentatio?
8. Quando res traditur ex causa vel titulo non habili ad transferendum dominium tunc quaritur detentatio?
9. Quando judicis auctoritate causa custodia vel juris conservandi datur aliqua res mea, quaritur detentatio?
10. Quando persona est incapax possessionis, tunc in eo transit detentatio: ut in servo.
11. Quando quis tantum habet detentationem in re, an possit usucapere, & an habeat possessoria si turbatur in detentatione?
12. Si detentator turbatur in sua detentatione, an habeat officium judicis nobile?
13. Si verus Dominus possessionis sit presens, an detentator possit istud officium judicis intentare?
14. In detentatione juris incorporalis, an detentatori competat istud officium judicis?
15. Ista detentatio facti, an retineatur animo in absentia?
16. Si detentator sit in conspectu, vel de proximo, an conservet detentationem?
17. Quid sit possessio, & ejus definitio?
18. Possessio an dicatur jus?
19. Quotuplex sit possessio?
20. An in querenda possessione requiratur causa vel titulus?
21. In acquirenda possessione per actum fictum, an requiratur causa vel titulus?
22. Intellectus ad leg. Qui bona fide. ff. de Adquirenda possessione?
23. Ex inutili & invalido contractu, an transferatur possessio?
24. Si quis tradat possessionem alteri, & illi non potest dari ex legis dispositione, an tradens perdat etiam possessionem?

- 25. An ex contractu facto a minore sine decreto transferatur possessio?
26. Si bona Majoratus alienantur, an ad accipientem transeat possessio?
27. Contractus simulatus an valeat? & si ex tali contractu sequatur traditio, an transeat possessio?
28. An tradens possessionem ex contractu simulato perdat possessionem vel non?
29. An ex inutili & invalido contractu transferatur possessio per actum fictum?
30. Quando contractus principalis non valet, an valeat aliqua clausula in eo posita?
31. Contractus licet sit invalidus, tamen si habet spem convalentia, bene potest ex tali contractu transferri possessio?
32. Per quos actus quaratur possessio?
33. An requiratur semper corpus & animus ad querendam possessionem?
34. Actus corporis qui dicantur naturales?
35. Ad hoc ut quaratur possessio in toto fundo, an sufficiat intrare unam glebam fundi?
36. Intellectus ad leg. 3. ff. de Acquir. possess.
37. Quibus modis quaratur possessio in servitutibus & juribus incorporalibus?
38. Si sunt plures fundi diversi & distincti, an per ingressum unius fundi quarantur omnes alii fundi?
39. Si quilibet fundus suo distincto nomine nominatur, an per ingressum unius quaratur possessio in omnibus, licet omnes sint ejusdem nature & qualitates?
40. Si quis querat possessionem domus, an per hoc videatur querere possessionem in omnibus rebus mobilibus in domo existentibus?
41. Si quis cogitabat se habere possessionem in aliquo fundo, & intravit in fundum causa continuandi possessionem, an ex tali actu querat possessionem de novo?
42. Qualiter quaratur possessio in jurisdictione?
43. An una possessio possit dari sine alia?
44. An ille qui acquirit possessionem possit querere unam quam vellet, prosternendo se tantum illam velle acquirere?
45. Per quos actus fictos quaratur possessio; & primus est per visum & aspectum oculorum.
46. Per visum & aspectum oculorum non possunt acquiri ea qua Caelo, mari, terraque capiuntur?
47. Ille qui invenit thesaurum, an acquirat possessionem ejus per visum & aspectum oculorum?
48. Si statuto cavetur quod inventus cum armis perdat ea, intelligitur si fuerit apprehensus cum eis?
49. Si quis prohibeatur portare aurum, vel res-

- res pretiosas, vel perlas, an possit portare perlas fictas?
50. Si in domo quis portet vestes prohibitas, an incidat in poenam?
51. Si quis inveniat thesaurum, an totus thesaurus sit ejus vel pro qua parte?
52. Si quis inveniat thesaurum in loco Principis, vel loco publico, vel in loco Ecclesie, an inventor habeat aliquam partem ejus?
53. An tutor, curator, vel procurator alicujus possit transferre possessionem per actum fictum?
54. An executor judicis possit in aliquem transferre possessionem per actum fictum?
55. Hares postquam est factus dominus, & ante apprehensam possessionem si vendat aliquam rem hereditariam, an transferat possessionem in ea per actum fictum?
56. Secundus actus per quem transit possessio est per traditionem instrumenti?
57. An requiratur traditio instrumenti novi vel antiqui, ut transeat possessio?
58. An requiratur quod res qua traditur per instrumentum sit presens?
59. Si quis simpliciter tradit alium instrumentum per quod ipse habet possessionem alicujus rei, an per hoc videatur ei tradere possessionem ejus?
60. Tertius actus fictus per quem transit possessio, est per traditionem clavium.
61. Ad hoc ut per traditionem clavium quaratur possessio, an requiratur quod traditio fiat in presentia domus vel loci in quo res sunt?
62. Si quis donat vel vendit habenas equi, an per hoc videatur donatus vel venditus equus?
63. Quartus actus fictus est per retentionem usufructus.
64. Si venditor reservat sibi proprietatem, & alteri concedit usumfructum, an in ea transferat possessionem?
65. Intellectus ad textum in leg. Quisquis, Code de Nation.
66. Quintus actus vel modus fictus est per conductionem rei.
67. Si colonus post mortem domini possessoris conducit ab herede, vel ei solvit pensionem, an per hoc acquirat possessionem?
68. An requiratur quod conductio fiat in presentia domus vel rei, ut acquiratur possessio?
69. Sextus actus fictus per quem transit possessio est quando concedo detentatori habere rem meam, mediante aliquo titulo.
70. Si concedo tibi rem meam mediante aliquo titulo novo, an transeat in te possessio in absentia rei?
71. Si ille qui concessit titulum ignorabat rem esse